



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. De delegatione hujus jurisdictionis, quæ Summo Pontifice fieri solet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

dicitur domicilium habere, & consequenter ejus erit parochianus?

Respond. o. In ejus Parochia, in qua patet porta principalis, magisque frequentata illius domus, quia ex aditu iudicatur de domo, cui cedat. l. *ej cui ades, ff. de legatis 3.* Ita Barbosa de potest. Episcop. Alleg. 32. n. 7. & de potest. Paroch. cap. 2. n. 43. Quid si in eodem casu utraque porta sit æque principalis, ut in magnis domibus aliquando evenire contingit?

7. Respondeo. In utraque, quia in more, & victu humano, utriusque Parochia dici habitator recte potest. Vide *max. num. 13.*

Habitationem transcentem habentes

8. Hæc de habitatione permanenti, dicamus nunc de transeunte, An scilicet, & quando, transeuntes per aliqua loca, vel peregrè ad aliquem locum euntes connumerentur inter subditos illius loci, ad effectum, ut possint Sacramenta ibi recipere.

Quatuor modis ejusmodi transitus contingere potest qui separatim sunt à nobis, doctrinæ clarioris gratia, distinguendi.

9. Primo enim, Si tu retinens animum hic permanentem habitandi, divertis in aliam Dioccesim, seu Parochiam, animo ibi permanendi pro maiore parte anni, vel etiam per aliquot annos, sed finito negotio, v. g. studio, lite, &c. intendis ad locum tuum reverti, quo pacto diceris in alia Diocesi, vel parochia habere quasi domicilium, sic inquam, si te habes, potes absolvi, atque assistentiam tui matrimonij habere, cæteraque Sacramento recipere, tum ab Ordinario tuæ permanentis habitationis, tum ab Ordinario tui quasi domicilij, vel ab eorum legitimis delegatis, censis enim utrobique subditus. Ita Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 23. Bossius de Matrim. c. 4. n. 8. Aversa q. 64. de Sacram. in commun. sect. 6. Imo si in loco tui quasi domicilij inveniretur Parochus tuæ permanentis Diocesis, seu Parochiæ, posses ab illo Sacramentum Pœnitentiæ obtinere; cætera vero Sacramenta per accedens, non posses, saltem regulariter, quia, cum ex se conferantur cum publicitate, præjudicium generaret Ordinario præsentis loci.

10. Secundo. Si tu, retinens animum habitandi in tua Diocesi, divertis ad aliam pro brevi tempore, vel ob creationem, vel, ut loquitur Textus, c. *is qui, de Sepulch. n. 6.* ad ruralia opera ibi exercenda, quo pacto vocaberis Hospes, & Peregrinus, quales etiam sunt omnes itinerantes brevi in Patriam reversuri. Si (inquam) sic te habes, non potes ex vi iuris absolvi, nec recipere assistentiam tui Matrimonij, nec alia Sacramenta, nisi à tuo Ordinario, quia illius es tantummodo subditus? nam propterea in eodem Textu dicitur huiusmodi Hospites, si decedant; non electi ab ipsis sepultura, non debere sepeliri in Ecclesia, ubi decedunt, sed in sua Parochiali.

11. Dixi autem (ex vi iuris) nam ex consuetudine, & interpretativo consensu omnium Ordiniorum, potes Sacramenta necessaria, etiam, & in alia, ubi peregrè degis, recipere; puta Sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis. Id extendit contra communem sententiam Pontius l. 1. de matr. c. 23. §. 1. ad assistentiam Matrimonij, imo, & ad Dispensationes; sed mihi difficile apparet, in his non necessariis adesse consensum illum. Nam propterea in praxi non audeo Pontij sententiam amplecti, de qua re iterum, cum de dispensatione Irregularitatis.

12. Quoad hoc igitur Pontium non sequor, sequor tamen illum quoad aliud. Tamen enim nonnulli doceant, si quis in aliam Dioccesim se consulto transferat, ut absolvatur à peccatis per alium, quam per suum proprium Pastorem, cui non vult sua peccata exponere; Nonnulli inquam doceant, hunc nulliter absolutionem recipere, quia in hoc casu, aiunt, ubi intervenit mala fides, & dolus, non præsumitur consensus proprii Pastoris, cum

nemini sua fraus patrocinari debeat; tamen multo magis, cum aliis satis probabiliter docet, & valde iuris. Nullus videtur dolo facere, quando vult in alia Diocesi, cum ergo unusquisque jus habeat ad eundem locum à suo, ibique in statu gratiæ ponere, qui id facit, non fraude, dolo utitur nullo. Adde, Episcopos multos sui huius dissensus in dicto casu, ne exiguum quidem signum ostendisse.

Habitationem æqualem in duobus locis habentes

13. Tercio. Si tu pro vna æquali anni parte, v. g. hyeme, moraris in vno loco, v. g. Panormi, at pro v. g. æstate in alio, v. g. Montis Regalis, ab utroque loci Ordinario, seu Parocho, Sacramenta tum recipies, quia tunc, tum ex iure, tum ex Doctoribus. Cuius Sepulch. in 6. apud Sanch. l. 3. de matr. d. 24. censis habet duplex domicilium, ita, ut probabilissima sententia, ut ait Sanch. l. c. cum Nav. Henric. item Gut. de matr. d. 64. num. 2. Aversa l. supra cit. ut dum hyeme v. g. moraris Panormi, possis ea recipere, tum ab Ordinario, vel Parocho Panormitano, tum ab Ordinario, vel Parocho Montis Regalensi; & dum æstate moraris Montis Regalis, possis tum ab Ordinario Montis Regalensi, tum ab Ordinario Panormitano; Id enim totum affert, habere utriusque domicilium. Atque hæc confirmat quod modo n. 7. dixi de habitante in domo sita in confinio duarum Parochiarum existentibus duobus paræque Principalibus.

Nullam habitationem habentes

14. Quarto denique, si tu sis vagus, hoc est, dum habetas animum alicubi residendi, five quia moris semper vagari, five quia relicta tua habitatione nondum pervenisti ad locum destinatum, vel inquam, in quoniam loco residere debeat: Si inquam, & c. habes, potes, inquit Sanchez dist. lib. 6. de matr. disp. 15. num. 5. ubique recipere Sacramenta, quia non est major ratio de vno loco quam de alio, & ex alio parte brevis mora qua in vno loco inveniris, additæ nulli. Hæc quoad effectum Absolutionis, nam quoad assistentiam Matrimonij, dicam latè infra lib. 8. de matr. tract. 6. cap. 2. §. 5. à num. 10. & quoad ferendas censuras dicam in tractatu de Excommunicatione, & quoad accipiendos Ordines dicam in tract. de Ordine lib. 7. de matr. cap. 6. §. 1. à num. 6.

§. IV. De Delegatione Iurisdictionis absolventi à prioris, quæ fieri à Summo Pontifice solent.

1. **D**ixi tantummodo observationem circa hoc medium sunt afferendæ. Prior. Cum concessio à Summo Pontifice, ut Religiosi ab Ordinario approbati, valeant excipere Confessiones omnium Fidelium, possent ex vi huius clausulæ excipere confessiones etiam Religiosorum, quia concessio est universalis, & non præjudicium afferens: tamen quia quæcumque Religio habet peculiare privilegium, ut ejus Religiosi non liceant excipiant Pœnitentiæ Sacramentum ab aliis extra ordinem, ideo ipsi hodie excluduntur ab illo privilegio, ut Suar. t. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. Layman, lib. 5. tract. 6. cap. 10. num. 19. In Compens. Privileg. Soc. p. Absolutio, §. 1. adnotant, Ita in Societate expressè à nostro Parte Generali nobis caveretur, ne quis nostrum absolvat Religiosos sine suorum Superiorum licentia.

2. Secundo, prædictam Iurisdictionem, seu potestatem ad absolvendam ita delegat Summus Pontifex Religiosis singulis, ut hi eam communicatam habere debeant immediatè à suis Superioribus. Sed de hoc infra latius cap. 5. §. 2. à num. 27.